

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

THROMBO NEONATORUM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI

AC

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

PRO

DOCTORIS LAUREA RITE OBTINENDA

IN

ALMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

MICHAEL SUTÁK

Magister Obstetriciae

Nyiregyháza Szabolcsiensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis
Palatio majori die 1. Junii 1831.

PESTHINI, 1831.

TYPIS LAN DERERIANIS.

Duo sunt praecipui medicinae cardines, ratio et observatio; observatio tamen est filum, ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia .



Baglivi.

ILLUSTRISSIMO DOMINO
SACRI ROMANI IMPERII COMITI
JOSEPHO TELEKI
DE SZÉK,
S. C. ET R. A. MAJESTATIS CAMERARIO,
AD
INCLYTAM TABULAM REGIAM JUDRIAM
BARONI,
I. COMITATUS DE SZABOLCS
SUPREMO COMITI
AC
ALMAE SCIENTIARUM ACADEMIAE HUNGA-
RICAE
P R A E S I D I,
nec non
I. Collegii II. Conf. Addict. Saros-Patakiensis Su-
premo Curatori.

V I R O

**REGI ET PATRIAE CARO,
SCIENTIA, HUMANITATE, PROBITATE**

AC

**BENEVOLENTIA INSIGNI,
SUMMO LITERARUM CULTORI ET PRO-
MOTORI,**

**MAECENATI
ET FAUTORI GRATIOSISSIMO,
PRIMOS HOS STUDII ACADEMICI FRUCTUS
IN PERENNE GRATI ANIMI SUMMAE-
QUE VENERATIONIS MONUMENTUM**

SACROS ESSE VULT

**DEVINCTISSIMUS
AUCTOR.**

Illustrissime Comes!

In fine curriculi, cui juvenus dicata fuit, supremam doctoratus medicinae lauream consecuturus, officii sanctissimi duco, gratias summas pro magnanimi munificentia, qua me excipere dignatus Es, palam proferre et declarare. Quid enim carioris? quid magis accepti vel grati mihi contingere potuisset? quam quod laborum meorum tenuissimas primitias Nomine Tuo Illustrissimo exornari passus sis. Et revera quid plus provocaret voti, et quid ardentius exoptaret animus, quam in conspectu eruditorum et literatorum, quorum nemo Nominis Tui summa non imbuitur veneratione, demon-

strare, Te scientiarum artiumque indefes-
sum fautorem strenuumque protectorem, pa-
triae gloriosum decus et dulce praesidium,
meum, quo merito superbire possum, Maecenatem esse amplissimum clementissimum.
Non est necesse, ut ingenii vim, iudicii pro-
bitatem, mentis sagacitatem, humanitatis et
clementiae beneficia plurima et laborum me-
rita summa verbis hic enumerem: clamant
de his patriae senes, testantur ubique juve-
nes, et ubi quod magnanimitatis est, in lu-
cem profertur, non tantum Illustritatis
sed et Familiae munificentissimae honos,
decus, lausque principium semper tenent. O

me ter quaterque beatum, qui sub Auspiciis
Tanti Viri prima mea in arte medica cona-
mina publici juris facere valeo! Fortuna
haec viribus sedulis perpetuo recens erit
impulsus, ut ad progressus in arte faciendos,
decuplo et amplius majorem impendam ope-
ram, cujus effectus salubres, in vitam ho-
minum miseram laete redundantes, influxu
amoris Tui magis suscitari semper profi-
tebor.

Suscipe igitur, Illustrissime Co-
mes, benignissime hasce primi conaminis
tenuis pagellas, quas favori Tuo, animo
gratissimo ut summae publicae venerationis

et reverentiae testimonium sacrare audeo, simulque peto, vires mentis, adhuc angustioribus limitibus circumscriptas, respicere dignare, in labore, qui magistri ingeniosissimi firmas desiderat, necdum tyro egressus vel mediocres valet gerere vires; eadem benevolentia, eodem magnanimi, quo me excipere dignatus Es amore et favore, ut me fovere in ultroneis quoque velis, enixe obsecro

devotissimus cliens
Michael Suták.

§. 1.

Thrombus neonatorum a graeco *Τροφον* coagulo, cephaloematoma, tumor sanguineus capitis, die Kopfschwulst der Neugeborenen, *Á csecsemők fejevér-dagálya*, est prominentia mollis, fluctuans, elastica, indolens, cuti concolor, magnitudinis variae, limitibus determinatis distincta, et plerumque margine osseo, tactu quasi os hiatum offert percipiendo nota, sanguine repleta.

§. 2.

Oritur in cranio per extravasationem sanguinis inter cranium et pericranium, et quidem multo frequentius post partum naturalem facilem, quam post difficilem aut arte peractum, saepius in neonatis debilioribus, quam vegetis. Sedem praeceteris eligit, frequentissime in alterutro, vel quod rarius, in utroque osse bregmatis, frequentius in dextro, quam in opposito; rarissime in osse occipitis, vel in uno aut alio osse temporum, perperam tamen contrarius respectu dicti ultimi Palleta.

1) Palleta B. exercitationes pathologicae. Mediolani 1820.
c. X.

§. 3.

Incrementum magnitudinis et tensitatis aliquando sat rapidum, alia vice iterum sat moderatum esse dicitur aliis, aliis usque sextam vel septimam diem decursum suum absolvere fertur. Tumor sanguineus occurrit magnitudine nucis avelanae usque ovi galinaceis augmentum, sed rarissime per totum os bregmatis diffusus, sic et tumores hujus indolis plures variae magnitudinis in eodem individuo. Ab initio est magis diffusus, mollis, laxus, parum elatus, saepe pulsationem offerens percipiendam; serius magis elevatur super loci superficiem, insignem acquirit elasticitatem, fit fluctuans, et fere semper in toto suo ambitu osseum, ossis hiatus mentientem, tactu percipiendum offert. Nonnunquam evenit tamen, ut nec ulla elevatio, nec ulla impressio ossis sensui examinanti offeratur.

Inciso hoc tumore sub incrementi stadio sanguis effluit laete ruber, qui non raro usque sequentem diem iterum restituitur. Aperto hoc tumore, dum elasticitate imminuta magis pastaceus tangitur, sanguis spissus, ater livescens, os innumere deprehenduntur. Teste Hoere inter centum partus occurrit semel, et infantes hoc malo oppressos, sub cura debita, in reliquo bene valere, et omnes eorum functiones rite procedere dicit.

§. 4.

Respectu originis si perpendo plurimorum auctorum sententias, ut celeb. Osiandri, *) qui praesente copioso liquore amnii, ante partum nonnunquam jam formari contendit; Michaëlis †) ut primū hujus morbi descriptoris, qui infantes cum illo nasci, vel eos tali mox post partum affici docet, vel et Hoere ‡), qui in uno casu mox post partum, in alio post trium septimanarum intervallum, tumorem ortum fuisse observavit, vel et aliorum, ut Schmitti §), qui duorum infantum, cum tumore hocce natorum, meminit; Heini ¶), qui eum media post partum hora oriri vidit; Feileri, †) Schmalzi, †) Froripi, †) Wendtb †), qui. 1. et 2., Bekeri, qui 3. diem post partum adducit: horum inquam omnium, si observa-

*) Handbuch der Entbindungskunst. Bd. II. 2. Tübingen, 1821. S. 208.

†) Über eine eigene Art von Blutgeschwülsten. Im Journal für die chirurgische Geburtshülfe und gerichtliche Arzneikunde, von Just. Christian Loder. Bd. II. St. 4. Jena, 1799. S. 658.

‡) Hoere G. F. Über die Schädelblutgeschwulst neugeb. Kinder. Frankfurt a. M. 1825.

§) Salz. med. chirurg. Zeitung. Bd. I. 1819. Nro. 21. S. 327.

¶) Annalen der Geburtshülfe etc. St. IV. Leipz. 1811. S. 60.

†) Paediatrik etc. Salzburg, 1811.

†) Versuch einer medizinisch-chirurgischen Diagnostik. 4. Auflage. Dresden und Leipzig, 1825. S. 57. Nro. 454.

†) Theor. pract. Handbuch der Geburtshülfe etc. 7. Ausg. Weimar, 1822. §. 328.

†) Die Kinderkrankheiten, systematisch dargestellt. Breslau und Leipzig, 1822. S. 81.

†) Hufelands Journal etc. 1823. October Stück.

ta et sententias perpendo, tumorem sanguineum opinionone celeb. Naegeli, ¹²⁾ in utero matris formari mihi quoque vero similem esse videtur; nam quatuor casus, quos mihi in instituto parturientium Viennensi observare licuit, idem comprobare videntur. Duo enim casus erant, ubi vix aliquot horis partu ubique naturali peracto elapsis, tumor in osse bregmatis dextro, quin antea observatus fuisset, provenit; in tertio die quarta, in postremo die tertia.

§. 5.

Inflammationis signa, semper huic tumori desunt, inde absentia doloris explicanda, et tactus rudioris quoque patientia. Colore thrombus genuinus, nunquam ab illa cutis differt, ubi autem color tumoris plumbeus a scriptoribus, ut Schmalzio, Feilero, Fleischio, vel livide rubescens ab Osiandro, observatus est, ibi superficiale ecchymosim contigisse non immerito assumendum erit, et in hoc casu etiam eveniet, ut felix omnino resolutio ope fomentationum aromaticarum contingat melius ac in thrombo genuino; cum secus juxta omnium scriptorum et medicorum practitorum asserta scimus, plerumque irritum omnem talem esse conatum in hocce malo. Consistentia tumoris ubique constantissima reperitur; percipitur brevi post ortum mollior et laxior,

¹²⁾ Salzburger med. chirurg. Zeitung. Bd. IV. 1819. n. 88. S. 159 — 60.

serius autem ob insignem tensionem elasticitate augetur, et ad pulsui manifestam fluctuationem offert. Pulsationem multi non admittunt, asserente Naegele et Hoere, sub stadio incrementi saepe percipitur. Interdum aliqua durities observatur, cujus mentionem Schmitt in opere citato facit.

§. 6.

Symptoma ad diagnosim multum contribuens margo osseus, maxima attentione dignum, vix non semper praesens detegitur, salva tamen observatione unius Naegele ¹³⁾ Carus ¹⁴⁾ Klein ¹⁵⁾ Zeller ¹⁶⁾ Feiler, Palleta, Osiandri et Beker, aliquando non sat manifeste, alia vice plane non est repertus. Qui itaque symptoma hoc magnae dignitatis, non tamen pro infallibili declarare rati habuere. Alii rursus os cranii destructum, laminamque ejus in certo ambitu deficientem, cum margine osseo, in limite tumoris perceptibili, nexu causali coherere confirmant. Sic Schmalz, Feiler, Michaëlis in operibus citatis.

Prof. instituti Viennensis parturientium Klein, marginem nominatum, pro mera illusionem sensus tactus habet, cum post incisum tumorem contento

¹³⁾ Naegele, Erfahrungen und Abhandlungen u. s. v. S. 245.

¹⁴⁾ Carus, Lehrbuch der Gynäkologie. Leipz. 1828.

¹⁵⁾ Klein, Bemerkungen über die bisher angenommenen Folgen des Sturzes der Kinder auf den Boden bei schnellen Geburten. Stuttgart, 1817. S. 20.

¹⁶⁾ C. Zeller, Praes. Naegele, Comment. de cephaloemtomate etc. Heidelberg, 1822.

liberatum, ut ait, disparet. Naegele aperte testatur, tumore debito tempore aperto, se nunquam os asperum, corruptum vel corrosum reperisse, sed semper laeve et integrum; inde etiam concludit, Michaëlem tantum ideo contrarium reperisse, quoniam nimie diu remediis resolventibus, antequam tumorem aperuisset, utebatur, cui asserto et cel. Hoerre ¹⁷⁾ consensum praebet.

§. 7.

Tanta assertorum discrepantiâ imponit, cuicumque dum contigerit hunc observare morbum, observatione sedula, investigationibus crebris strenuis, iudicio ab omni praejudicata opinione libero, resultat ergo experientia sincera comparatum, ut velit communicare superioribus, quorum maximi semper est, aliquid veri et utilis in arte saluti humanae prospiciente rescire et experiri, hic enim fons struitur, e quo media profluunt, vitam humanam saepe saepissime acceptam efficientia. Causas etiam hucusque, tam multarum in edictis adversitatum accusamus illas, quod magnus defectus sit respectu hujus morbi sectionum pathologicarum, quae solae plurimum lucis adferre possent. Inde etiam factum est, ut viri indefesso modo, semper saluti humanae

¹⁷⁾ De tumore cranii recens natorum sanguineo et externo et interno, Berol. 1824. 4. Idem: In Siebold's Journal für Geburtshülfe. Bd. V. Heft 2. S. 219.

arte benefica consulere conantes, de morbo discuterent, quem nunquam viderant, ut sic, theoriae edictis, si non communicare valent experta, ad minus ad sedulas observationes quemvis amore in munere suo constitutum provocent. Culpandi tamen omnes illi sunt, qui praeconceptis opinionibus abrepti, obiter observata pro veris et genuine expertis venditant, immemores labore suo tantum multitudinem discrepantiarum augere; qua tantum abest, ut cognitio vera nanciscatur morbi, quam potius, ut profundiori caligine omnia tegantur experta.

Obstat ulteriori perfectae dilucidationi arti nocivum, sed salutem humanae maxime proficuum, facilis debita cura tractati hujus morbi sanatio, ut saepe medici practici erga illum praebeant se indifferentes.

§. 8.

Quos mihi observare licuit casus, maxima observationis esset remuneratio, si quid certi affirmare ausus essem; attamen, quamvis percepi marginem osseum, in tribus distincte, minus in quarto: an illusio solum erat tactus, vel pagina ossis bregmaticis deerat, nil veri dicere possum, cum omnes incisione facta contento liberati, adhuc minus distincte percipiendum symptoma obtulerunt, et cura debita omnes sanati sunt. Nulli tamen sententiae adhaereo, nec in verba juro magistri; sed conabor experientia propria sedula et sincera, intuitus et no-

tiones reddere clariores, et si conatibus vel minimum ad rei veritatem conferre potuero, publici hoc juris facienti, maxima laboris erunt proemia.

§. 9.

Contentum thrombi neonatorum, sanguinem, plerique observatores spissum fere coagulatum atrum, rarius laete rubrum invenere, tantum Osiander dissentit, et affirmat sanguinem nunquam esse coagulatum, quancunque tumor diu persiste-rit, et etiamsi fomenta frigida applicata sint. Cel. Hoere tamen in plerisque casibus, incisione tumoris mature facta, magis laete rubrum et fluidum, serius facta magis atrum et coagulatum se invenisse testatur. In meis observationibus plurimorum edictorum asserta confirmata inveni, semper enim effluxit sanguis ater spissus, cujus causa fors esse potest, quod. D. Prof. Klein nunquam thrombum neonatorum, ante sextam diem, ob metum ut ajebat haemorrhagiae periculosae, quam intempestiva incisio producere solet, aperuerit.

§. 10.

Quantitas cum pro ratione magnitudinis variat, non tantum memoranda venit, quam potius situs sanguinis accumulati. Arduum est definire, an inter cutim externam et galeam aponevroticam, vel inter hanc et pericranium, aut inter hoc et os cranii con-

tingat? — Feilero est duplex, alter cujus contentum sub cute effusum, alter qui cum carie ossis cranii conjunctus est, atque sanguinem inter cranium et pericranium accumulatum continet. Prior sententia minori fulcitur probabilitate, nam si sanguis inter cutim externam et galeam aponevroticam contentus esset, tum cutis super tumorem neque moveri, nec in plicas colligi posset, quod tamen experientia copiosa observatur; dein color cutis, vix unquam ut superius monui a normali differt, quod fieri non possit, nisi sanguis profundius stagnaret. Color tumoris plumbeus a nonnullis animadversus nil contrarii vehit, ut jam monui, ecchymosim superficialelem ibi accidisse necessarium puto, sed neque magna in hoc tumore elasticitas praesens, minimum veritati de situ profundiori sanguinis argumentum exhibet, quae sanguine cuti superiore tantum limitato observari tanta non possit.

§. 11.

De valetudine infantum hoc tumore affectorum, vix ullus praeter Naegelium aliquid refert. Auctor is declarat, quod etiam confirmatum habeo, neonatos esse vegetos, talesque refert vixisse futuros. Goelis ¹⁰⁾ tamen adfert, temulentiam fuisse praesentem, quam a pressione hujus tumoris in cranium et mediante hoc in cerebrum factam derivat. Statum

¹⁰⁾ Praktische Abhandlungen, über die vorzüglichen Krankheiten des kindlichen Alters. Bd. 11. Wien 1818.

hunc si ossa cranii errore efformationis carent, non aliter explicandum esse puto, quam quod cum tumore externo, vel internus, cujus mentionem Hoere in opere citato facit, vel aliud in cavo cranii residens conjunctum sit vitium.

§. 12.

In diagnosi statuenda, si definitionem morbi justam mente quis tenuerit, et semel tantum morbum hunc in suo decursu sedule observaverit, cum nulla magna difficultate colluctandum habebit. Morbi, cum quibus confundi possit, sunt, caput succedaneum, hernia cerebri congenita, hydrocephalus externus partialis, teleangiectasia, exostoses, aneurisma, fungus haematodes, sarcoma, atheroma etc.

1. A capite succedaneo (tumore sanguineo-aquoso Osiandro), cum quo citissime confundi posset, sat distinctis characteribus differt; hoc semper sub et tantum post diu durantem et difficile superatum partum in loco sub hoc actu prostante, ergo nec facie excepta, solum, nunquam alibi cum alio sibi simili occurrente, oritur; tumor talis limitatus non est, sed latissime plerumque diffusus, et vel ideo magis depressus, foveolam, post pressionem digiti cessantem, restituendam admittit, dolet, sed nunquam pulsatione, neque margine velanulo osseo aut alia illusionem notatur, nunquam extravasatum sanguinem, tantum in minimis venis et vasis lymphaticis accumulatum humorem serosum vel sanguine mixtum,

turgescientiam textus cellulosi inter integumenta communia et pericranium in aliquo ambitu causantem, offert, et sic formatur tumor livescens elasticus, qui cessante pressione, libera circulatione in vasis loci et vicinis restituta, vel sponte vel facile epithematibus aromático-spirituosis cedit. Quod thrombus seu tumor sanguineus characteribus oppositis ab illo differat, jam ex superioribus sponte patet.

Difficilior est diagnosis, si infra caput succedaneum thrombus simul recondatur, ubi haec firma ante plenam resolutionem prioris statui nequit, quo tamen resoluta, vel remediis suis curato, posterior suis characteribus bene distingvi potest, vel si cui in re non versato id non succederet, persuasum certo habeat, tumorem hunc remediis, contra tumorem prioris ordinis adhibendis, pertinaciter resistere.

§. 13.

Commutatio cum hernia cerebri omnino evenire potest, sed tamen sat claris suis signis et phaenomenis distingvitur; occurrit haec semper tantum in regione suturarum et fonticulorum, tumorem ob cerebri structuram refert solido mollem inaequalem, vel cerebro morbozo, mollem aut pastaceum, manifeste pulsantem, sub rhytmo respirationis ascendentem et dehiscentem, sub fletu aut tussi incrementem, sub pressione aut influxu frigoris, insultus apoplecticos et convulsivos producentem, causa cessante evanescentes. Ipsum caput plerumque est mi-

mus ex causa retentae evolutionis. Si in osse aliquo foramen vel hiatus, sive retenta evolutione, sive si concedi possit, vi mechanica orta, hernia occurreret, haec ubi hernia per hiatus suum parce vel plane nondum egressa sit, per foramen aut plenarium in hoc loco ossis defectum, tactu detegendum facile cognosceretur.

Cum hydrocephalo externo, minus possibile est vel minime attento thrombum neonatorum confundere. In hoc tumor extensionem in toto ambitu capitulii tenet foveolas tactu cessante pedetentim tantum restituendas recipit, et perceptionem tabulae ossis externe in pluribus locis admittit. Contusiones, ecchymoses, vel ecchymomata, in fluxibus externis nocivis mechanicis orta, ut ictu pressione forcipis et aliis, colore suo mutato et decursu a thrombo longe diverso, facillime distingvi possunt. In dignoscendis teleangiectasiis vel per anastomosim vasorum ortis aneurismatibus, quae instar spongiae molles, tactu imminuendae rubicundae vel livescentes observantur, vix quem dubium habere in determinando morbo posse credo; sed nec in veris quae rarissima sunt aneurismatibus quid obstaculi inveniet, cum hic pulsus manifestus ordinatus et sanguis lacte ruber spumescens detegatur.

§. 14.

Cel. Schubart ¹⁹⁾ refert, thrombum posse cum fungo haematodes confundi, quem tamen, si in integumentis communibus resideat, colore rubro et livido, si vero infra haec textui celluloso immersus sit, tantum seriori aetate observandum et etiam ex mutabili colore distingvendum esse refert. Sed Oslander in opere citato §. 105 monet nos cautos esse, ne etiam osteophymate seu tumore ossis fallamur, et hoc pro thrombo declaremns, quod et celeb. Michaëlis accidisse refert, qui omnino rarissimus est, ubi os in diploë tumet, quo vitio praesente, semper pagina externa ossis adest. Talis tumor sive solitarius vel plures simul, proveniunt in encephalo, cujus ossa plura loca chartae densioris instar tenuia, sub tactu crepitantia gerunt, et ubi incisio maximi esset periculi. Minime denique diagnosim dubiam fieri posse puto, in lipomatibus, sarcomatibus, vel aliis hujus generis tumoribus, cum hujus ordinis mala et pedetentim tantum increscunt, et supra os, ubi locantur, hinc et illac facile moveri possunt.

Magni momenti est diagnosi recta, tumoris sangvinei genuini, etiam in obductionibus legalibus, ne rei imperitus, in mortuo infante tumorem hunc praesentem, fors pro effectu vis mechanicae illatae declaret, et sic edicto falso, judicem ad immeritam matri innocenti dictandam poenam provocet.

¹⁹⁾ In Graefe und Walthers Journal. Bd. 11. H. 3. S. 550.

§. 15.

De causis praedisponentibus et occasionalibus thrombi neonatorum auctores multum inter se dissentiunt, nec nobis certi quid constat. Michaëlis ut primus fide dignus scriptor, sic Bernstein²⁰⁾ et Palleta, sectionibus pathologicis assertum suum superstruens, vitium cranii, ex cujus substantia, velut e spongia, sanguis scaturit, causam extravasati assumunt, quo vitium affectionem statuunt primariam et tumorem ipsum secundariam esse. Cui asserto tamen, ex observationibus Naegeli contraria afferuntur, qui tempestive incisione facta, nunquam asperum vel errosum os, eo minus plenariam hujus loci absentiam laminae, sed laeve, sanum, et sanitatem cito subsequam invenit.

Si haec vera sunt, vitium ossis, quod reperitur, potius sequelam tumoris omnino assumendam esse puto, nam per extravasatum sanguinem, qui non sat cito removetur, et qui pro parte ante partum jam adfuerat, nutritio et evolutio ossis impeditur, et eo ipso alienatur vel plane destruitur. Stein morbi causam quaerit in alienata quadam conformatione vasorum. Alii auctores morbum non sat rite distinguentes, a causis mechanicis, praesertim partu difficili inducendis, oriri contendunt, ut Girtaner²¹⁾ Carus, Klein, Wendt et alii.

²⁰⁾. Praktisches Handbuch für Wundärzte. Leipzig 1818.

²¹⁾. Krankheiten der Kinder. Berlin 1794.

§. 16.

Memorabilis est sententia Osiandri, quae etiam in potentiis mechanicis fundatur. Ille arbitratur sic oriri hunc tumorem, ut vasculum aliquod emissarium, substantiam cranii trajiciens, plerumque arteriosum, laceretur vel rumpatur, quod accidere potest, vel dum vascula nimis sanguine turgeant vel dum hiatus, quem vasculum perforat, pedetentim angustatur, et hoc dein comprimat; vel defluxo liquore amnii, si caput diu in pelvi retineatur, et uni vel alteri lateri pelvis apprimatur, vel denique si partus forcipe peragi debeat, cujus pressione tale vasculum laedi vel rumpi posse refert. Cum autem haec vascula in ossibus bregmatis plerumque detegantur, ideo et sedem tumoris hic frequentissimam esse putat. Assertum hoc causam morbi non perspicio quomodo dilucidare posset, cum prioribus observationibus copiosissimis, multo frequentius thrombum neonatorum, post partum faciliorem ac difficiliorem, ubi nulla vestigia capitis succedanei, occurrere merito reprobetur. Hoc emolumenti tamen continet, quod asserta tacite confirmet, sanguinem in thrombis neonatorum contineri extravasatum, et qua talem, ut corpus peregrinum, arte semper esse removendum.

§. 17.

Causas sub partu influentes mechanicas, nec ad explicandam originem, nec ad eruendam indolem mali, assumi posse, testantur maxime in hac re meriti viri; nam non tantum quod frequentius post partus faciles, quam contrarios, sed etiam quod saepe et longiori tempore post partum oriantur, ut et Hoere casum narrat, ubi tribus septimanis post partum tumor hic in conspectum venit, sat gravia exhibent argumenta ad rem minus probabilem reddendam; tam longo tempore praecedens laesio praeterea symptomata sua in tenero corpore minime occultare valet.

Observatum adhuc est, matres, quae tumore hoc proles praeditas enixae sunt, sub graviditate ictu vel lapsu utero laesas fuisse, et inde tumoris originem alii explicari arbitrantur. Laesiones mechanicas matrum, soboli saepe saepissime conspicua imprimere vestigia, jam ipse docuit Hippocrates, dum in libro VI. de genitura agit: „Quin et alia hujusmodi causa mutilantur pueri, quum uteri locus, qua parte mutilati sunt, angustior fuerit, necesse est corpus, quod angusto in loco moretur, illic mutilum fieri.“ Et Billard **) observavit, ecchymosim in capite faetus quinquemestris, adhuc membranis ovi inclusi, per ipsas membranas diaphanas conspi-

**) Krankheiten der Neugeborenen und Säuglinge aus dem Französischen. Weimar 1828.

cuan. Mater per quatuordecim dies doloribus et haemorrhagiis tantopere excruciabatur, ut abortus, quem timebat, re ipsa sequeretur. Adducit idem auctor exemplum aliud quoque a Laesage adnotatum, ²³⁾ ubi foetus in fronte vestigia laesionis, ictu in regionem uteri, tempore graviditatis, exhibitata, tulit.

§: 18.

Ex allatis probari omnino potest, possibilem esse vi mechanica, utero illata, laesionem foetus, quod et omnis aevi experientia testatur. Quomodo autem potentiae nocivae agant, num eosdem semper in eodem loco producant effectus, an ut momentum geneticum in morbo nostro speciatim considerari possint? id ulterioris aevi observationibus confirmandum esse relinquere cogimur. Si observationes aliorum id quoque demonstraturae sint, gravissimum inde duci potest argumentum pro asserto Naegeli, qui tumorem sanguineum in utero matris primordia capere statuit.

§. 19.

Hoc respectu theoriam de morbi genesi nobis omnino explicare in aliquantum valebimus. Posito enim eo, quod vel ex vi mechanica, vel qua-

²³⁾ Bulletin de la Fac. 1805.

cunque alia causa tumor sanguineus jam in utero matris formari incipiat; accidere enim facile potest, ut natura, quæ in formandis ossibus ultimo occupatur, in hoc opere causa mechanica vel dinamica aliquomodo turbetur, et sanguis majori copia huc affluens, in refluxu cohibitus. ecchymosim sub pericranio producat, quæ ob pressionem, quam liquor amnii et parietes uteri exerunt, per tempus exigua perstat, ita ut et post partum visui, vario intervallo temporis, subtrahatur, formationem tamen ossis imperfectam hujus loci facit, partu peracto cessat pressio liquoris amnii et uteri, et perstat solius laticis accumulati, sanguinis circulatione per universum organismum facta nunc alacriori, obstaculo minore praesenti, pericranium ab effuso latice magis magisque elevatur, atque tumor, de quo loquimur, formatur. Tumor is, aliquamdiu post partum, cum circulo universali in nexu est, posteaquam autem culmen adtigerit, uberior adfluxus sanguinis per ipsum extravasatum cohibetur, vasa sensim coarctantur, et communicatio cum circulo universo interrumpitur. Hac ratione dein fit, ut sanguis effusus spisescat et coaguletur aut resolvatur, os subjacens, utique imperfecte evolutum, denudatum arrodatur, sicque exitui fatali, de quo multi auctores loquuntur, occasionem praebeat.

Hic puto etiam fontem resultati, e sectionibus pathologicis Palleti procedentis, quaerendum esse, qui in cadaveribus infantum, hoc subvita malo obrutorum, laminam externam deficientem, et diploë una cum vasis hujus loci morbose affectum invenit.

Hoc modo ideam, theoria rationali fundatam, et si non in universum, in morbo formae semper, sed naturae non ejusdem valentem, tamen tentatae adumbrationi non omni probabilitati adversam censendam esse credo.

§. 20.

Theoria hac tam resultata cel. Naegele, qui os nunquam post incisionem, mature factam, tentatum se invenisse asserit, quam etiam resultata cel. Palleta fors aliqua parte dilucidari possent. Sententia prioris firmari eo potest, quod os aetate faetali in evolutione perfecta ob ecchymosim ortam detineatur, si tamen reliquus organismus vegetus viribus instruat bonis, infante in lucem edito, natura extravasatum, ut corpus peregrinum, remove mox conatur, et inde citum incrementum tumoris, sed et cita emendatio ipsius substantiae osseae, quare Naegele omnino semper invenire potuit os laeve, visui nihil alieni offerens, an non tamen aliqua ipsius substantiae hujus loci a reliquo osse differentia aderat, id nullatenus pro certo venditari potest, quia organismo vegeto vita durabat incolumis, et sub hoc statu natura medicatrix vitium ossis perfecte sanare potuit.

In celeb. Palletae sectionibus quoque explicationem rei possibilem rati haberem, nam neonati hoc vitio praediti, ex quacunque dein causa defuncti, vel in utero matris jam organismo minus, ala-

cris vegetationis viribus stipato, donati sunt, cujus potentia influxus nocivi effectum, sive causa mechanica sive dinamica illati, nec in vita factali, nec in neonati, satis in actione iniqua limitari, eo minus amoveri potuit, et sic effectus, causae nocentis victor, vel in loco, ubi residebat, efformationem ossis turbari potuit, vel efformatum arrodere, destruere, ut sic omnino in sectionibus neonatorum ex morbo alio etiam, sed eo magis, si ex hoc ipso demortui sint, non tantum absentia laminae externae hujus loci, sed etiam diploë, cum vasis suis morbose affectum, reperiri potuit.

Repetita hic repeto, theoriam hanc me nolle ut quid certi statuere vel probare, nam experientia mea paucis stipatur tantum adhuc observationibus, sectionibus nullis, sed ea propter adduxi illam, ut ad dilucidandam hujus morbi genesim aliquid contulisse videar.

§. 21.

Placuit nonnullis thrombum neonatorum morbis adnumerare periculosus, credo tamen juxta plurimorum observationes, morbum hunc periculo imminenti fere semper eripi, vel hoc adstans adminus multum frangi posse, si modo tractamen seligatur debitum, et praecipue emissio sanguinis, incisione tempore convenienti facta, nec tempus mediis solventibus terratur, ut malum lucretur tempus indole alienari, ad partes vicinas sic pessumdandas.

Ex morbo neglecto funestas oriri sequelas sponte patet; longiori mora sanguis contentus destruitur, suppuratio inducitur, quam nisi organismo, in ceteris bene constituto, et medela rationali sanare hinc inde succedit. Si hae conditiones deficiunt, caries provocatur, cui si limites poni nequeant, vel perforatio ipsius cranii, vel mox mors, ut victrix, supervenit.

Sed sanationem, beneficio ipsius naturae medicatricis, penes constitutionem bonam et viribus corporis vigentibus, possibilem esse testatur Hoere, qui cum celeb. Rudolphi casum observavit, ubi tumor sanguineus post partum aderat, et nihil ei opponebatur, et tamen sanatio spontanea ita subsecuta est, ut post duos annos, dum videret prolem, nihil praeter majorem hujus regionis convexitatem observaretur. Casus tales ad rarissimos referendi sunt. Sanius semper est, arte rationali succurrere naturae medicatrici, qua certo manu levissima sanatur malum. In morbo nostro hac ratione, dummodo rite cognoscatur, medelaque recta tractetur, fere semper fausta statui potest prognosis.

§. 22.

Medendi methodus contra hunc morbum diversa adhibita est. Plerique intendunt tumorem recentem mediis resolventibus sanandum esse, ut sunt fomentationes ex plantis aromaticis, cum vino coctis, solutiones salis amoniaci, aqua Saturni et ligatura

comprimens. Sub horum remediorum usu, si tumor usque 10 aut 14 diem non decreseat, sed maneat tenoris ejusdem, tensus vel et magni ambitus sit, consultissimum esse dicunt, tumorem aperiendum et sanguinem contentum evacuare. Incisio fit optime lanceola, pro ratione magnitudine tumoris, longitudinaliter 1—2 pollicum, attendendum tamen, ne ipsum cranium laedatur, cum incisio debite profunda fieri debeat, ut omne contentum debite evacuetur, vulnus spongia, aqua frigida impregnata, depurandum venit, ut inquiri possit, an non aliquod vasculum majus, haemorrhagium vel nunc vel in ultroneis facile causans, laesum sit. Vulneris labia ope aliquot lacinarum emplastri cerati sibi invicem usque ad mutuum contactum approximantur, ut sanatio per primam intentionem fiat; inter lacinias spatia relinquenda sunt, ut sub quavis deligatione labia vulneris an uniantur et quomodo? observari possint, sic dein vulnus vel simplici linteolo quadrato, vel ei subposito linteo carpto, spiritu vini impregnato, tegatur.

Primis diebus effluit humor adhuc sanguinolentus, dein serosus flavescens, quem excipit purulentus. Si vulnus citius sanaretur, ac contentum totum effluerit, dilatatione labiorum vulneris via erit renovanda. Medela hac intra paucos dies sanatio subsequitur. Unguenti digestivi, vel decocti cujuspian adstringentis tunc tantum necessarius est usus, si suppuratio malae fiat indolis et labia vulneris laxa deprehendantur.

Prof. Klein felicissimo cum successu in domo parturientium viennensi hanc methodum sequenti ratione exercet: sexto aut septimo die ab exordio tumoris fit sectio longitudinalis, a basi tumoris versus cœtrum tendens, tanta, ut sanguis commode effluere possit; vulneri imponitur linteum carptum, quod tandiu relinquitur, donec liquidum manare cesset, tum remoto linteo, vulnus, marginibus approximat, cito sanatur.

Incisio praematura damnanda est, quia experientia teste, multum sanguinis laete rubri, spumescentis, serius parum atrii, spissi, evacuatur.

Naegele antea quoque magnus defensor et assecla hujus methodi, sed teste Zellero, eam nunc tantum tunc adhibet, si tumor nimiae fiat magnitudinis et extensionis, et postquam 10—12 dierum spatio fomentationes aromaticae absque effectu adhibitae sint. Dr. Scheiderbauer, medicus quondam in hospicio infantum expositorum vindobonensi, plura exigua vulnere lanceola tumori infixit, ut sanguis sensim evacuetur, quam methodum Hoerenisi tunc causa explorationis commendat, si diagnosis minus firma fuerit.

§. 23.

Memorabilis methodus est alia cel. Palleta et cel. Goelis. Prior tumorem setaceo trajecit; atque ab initio nigrum sanguinem per bi-aut triduum fluere, serius laticem flavum, serosum, ultimo pus

verum secereri dicit. Spatio 15 dierum abscessus sanatur, cujus effectum ab initio unguento aliquo resolvente, dein cataplasmatibus, ex plantis aromaticis paratis, adjuvat. Superveniente febris commendat usum leni eccoprotici, vel huic non cedenti, decoctum chinae.

Methodus sagacissimi et peritissimi Goelis, quam optimo eventu nonaginta vicibus se adhibuisse testatur, consistit in adplicatione lapidis caustici, quam sequenti ratione instituit:

Post multos, incisione hujus indolis sanatos morbos methodum hanc deserens, tumorem sanguineum loco cultri, lapide chirurgorum aperire voluit, casu tamen evenit, ut remedium effectum plenum non exereret, sed erosionem solummodo superficialem produceret, quae praeter opinionem et spem insigne decrementum tumoris procreavit; cum id videret, abstinuit ab ulteriori cauterii usu et tumorem jam naturae medicatrici reliquit, qui etiam, brevi tempore continuo decrescens, evanuit.

Casu hoc attentus factus, ulteriori exercitio hanc comprobata invenit medendi methodum, et, solebat eam hoc modo instituere: abradis in summo tumore capillis, plagam calvam frustillo lapidis infernalis tamdiu leniter fricabat, donec epidermis quidpiam laederetur; vel scopo eodem adplicuit pastam, ex lapide caustico et calce viva cum aliquot guttis spiritus vini paratam, vel vero emplastrum cantharidum apposuit, quod ad plenum usque effectum ibi reliquit. Producta hoc modo, magnitudinem

numi austriaci non excedens vulneratio applicatione unguenti digestivi in suppuratione detinebatur, donec tumor imminutus fuerat. Die 8 aut 10 crusta decidit, et post 13 aut 20 perfecta sanatio secuta est. In loco, ubi cauterium adplicatum fuit, pili semper recrescebant, nec ullum remansit laesionis vestigium.

§. 24.

Ex omnibus his acceptissima illi erat semper lixiva pura seu lapis causticus, et quidem forma pastae, cujus jam mentionem feci. Experientia teste haec methodus, cum effectus, quem medicus optat, non arcte determinari potest, ut optima dicenda non est; praeparatum enim ipsum nunc purius et fortius, nunc ab attracto acido carbonico mitius vel habetur vel tale evadere potest; si autem pastae huic emplastrum diachilon superimponatur, incertitudo adhuc major est, facileque evenire potest, ut loco superficialis profunda enascatur erosio, quae ad ipsum os penetrat, illudque destruat, quod et ipsi auctori per negligentiam, ut refertur, chirurgi accidisse constat.

Ut similia avertantur discrimina, tractamenque simplicius reddatur, per alios methodus hac ratione mutata est: ut abrasio in universo tumore capillis, is in apice humectetur, dein lapide caustico fricetur, donec spumescat; elapso dein paucorum minorum intervallo, loco vulnerato emplastrum ad-

haesivum superimponitur. Post biduum emplastro remoto, tumor investigatur, an decrescere incipiat, si minus, tum pone locum praeteritum similis instituitur attritus, quod repetitur factum, donec tumor manifeste decrescat. Duae vel tres plagae, magnitudine aureum hollandicum aequantes, ad tumorem perfecte resolvendum sufficere dicuntur. Hac agendi ratione epidermis laeditur, subsequa inflammatio cito transit in suppurationem, plaga vulnerata tegitur crusta, quae post octiduum plerumque decedit, tumor spatio 14 aut 20 dierum absque ullo incommodo evanescit.

Inflammatio, caustici ope in superficie tumoris producta, resorptionem impellit et hac ratione tumoris imminutio incitatur. Hujus medendi rationis jam Celsus mentionem facit, ubi Libr. 4. c. 2. de tumoribus cranii, inspecie de hydrocephalo externo loquitur, et sequentem ejus medelam proponit. Primum usque ad cutim tondendum est caput, deinde apponendum aliquod medicamentum causticum, illudque retinendum, donec locus ulceretur; quodsi hoc ulcus parum prosit, tum scalpello est utendum.

§. 25.

Quaenam ex his methodis optima dicenda sit, arduum est determinare, cum quilibet suam reliquas antecellere contendit. Nec perperam; quis enim probatam et expertam, sibi jam familiarem, quam

saepe, saepissime votis secundis emensus est, deseret metam, praesertim si pari passu procedat cum reliquis.

Opinionem cel. Chelius vilipendendam vix esse puto, et ab initio semper fomentationibus aromaticis resolutionem esse tentandam, protractione tamen adplicationis horum mediorum usque 10 vel plane 14 diem justo longiorem esse dico, et in diagnosi firma incisionem 6 vel 7 die tuto et convenienter morbo, si tumor non imminuatur, instituendam esse juxta Prof. Klein puto. Caustici adplicatio, tantis laudibus decantata, vix credo, ut expectationis eventu semper coronetur secundo; inter quatuor casus, quos observavi, Prof. Klein quoque unum 7 diebus caustico, juxta regulas celebrati Goelis, tractavit, tumor tamen non decrevit, et curam, quam et nunc felici cum successu exercet, hic quoque instituere coactus erat.

Damnare illam nequaquam volo, experientia mea enim adhuc manca est, et si hac methodo, ut ejus asseclae ajunt, morbi sanatio cito, tuto, et absque notabili dolore perfici potest, priori adhuc praefereendam esse censeo; nam et curam reddit simpliciore, et magnis adversitatibus, cum quibus praesertim in privata praxi colluctandam venit, liberat quemvis medicum. Sane quisque numerat in praxi sat multos, si non plerosque parentes, qui cultrum vehementer abominantur, nec tenellum infantem impune laedi posse arbitrantur; et si morbus a minus perito in re, cum alio quodam sibi simili con-

fundatur, certe a caustico non tantum, quam ab incisione imminet periculum.

Ut tamen ulterior applicatio fide dignorum virorum confirmatione approbetur, ulteriori experientiae practicae relinquenda est, et si cui tentanti hoc remedio morbum usque 5,7 diem tollere, vel adminus notabiliter imminuere non successerit, justum et aequum est, incisione sanguinem contentum evacuae, et morbum ulteriori sua cura §. 22. indicata sanare.

T h e s e s

1.

**Medicinae scientia difficillima quidem, sed et
amoenissima.**

2.

Paucis remediis utitur prudens medicus.

3.

**Anthelminticum absolute specificum non da-
tur.**

4.

**Cortex radice puniceae granati remedium
contra taeniam praestantissimum.**

5.

**In exhibendis remediis heroicis et minus ad-
huc notis cautissime procedendum.**

6.

**Laesionum absolutam lethali-
tatem diebus non
possumus metiri.**

7.

**Cutis functio cum pulmonum officio ana-
loga.**

8.

Mors non est opposita vitae, sed nativitati.

9.

**Morbum non intelligit, qui eum omni die
diversis adgreditur medicamentis.**

10.

**Eventus felix curae in aegro, ab aegro tra-
ctato, non scientiae ejus, sed casui for-
tuito adscribendus.**

11.

Delirium tremens differt a phrenitide.

12.

Post pastum quies prodest.

13.

**In arte obstetricia methodus expectativa
praecipuum sibi vindicat locum.**

14.

Crudelis, mater propriae proli ubera dene-

gans, suae et infantis sanitati male consulit.

15.

Ferrum in chlorosi remedium princeps.

16.

Febris saepius naturae conamen salutare potius, quam morbus dicenda.



Joint Planning Committee to Study

Joint Planning Committee

Joint Planning Committee

UNSE